Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput I.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

racula per Indiæ Proregem Vi. conquisita per-
scribi sedulò iussisset, ea Romam ad legatum
suum, misit, ut ageret cum Pontifice de Fran-
cisco Xauerio in sanctos reponendo. Ceterùm
pios optimi Regis conatus intempestiua occupa-
uit mors. Pater igitur, nouo templo absoluto,
ac ueteri disturbato, Xauerij loculum in do-
mesticum transtulerunt sacellum: ubi hodie
eius memoriæ ac nomini priuatim honos ha-
betur; donec per Pontific. Max. (: si Deo uidi-
bitur) publ. solemnem haberi honorem liceat
erit.

Horatij Tursellini
De uita Francisci Xauerij
Liber Sextus
Francisci facta ac miracula Lusitani
Regis imperio perscribuntur
Cap. I.

Etsi diuina dona ac munera, quibus Fran-
ciscus cumulatus fuit, in omnibus eius uitæ
partibus, quas demonstrauimus, identidem cer-
nuntur: tamen non erit abs re, quæ uarijs
et obscurè significata sunt, propalam oculisque
contemplanda proponere; ut explicatis rerum
generibus, uno in conspectu omnia liceat intueri.
(Atque (ut primum capiamus ea, quæ uel
ipso plus admirationis habent, atque in se
oculos animosque conuertunt.) non solum in
toto uitæ cursu, sed multo etiam magis in ipso
funere permulta Francisco contigere diuinitus
quæ nulla naturalis causa miraculo eximere
queat. Ea nos igitur diuina indicia ac testimo-
nia eius sanctitatis diligentius persequamur.

Omnium autem rerum eos auctores citabimus
ac testes, quorum de auctoritate ac fide dubi
tare nefas sit. Joannes ergo Lusitaniæ Rex
hoc nomine tertius, cujus nutu, ut ante diximus,
Franciscus Xaverij in Indiam contendit, cum
cognitam exploratamque haberet ejus sancti
moniam, non minus honoris habuit mortuo
quam vivo habuerat. Nam Xaverij morte
nunciata, haud secus, quam par erat, tanti
viri jacturâ motus, Orientis ingemuit cladem
qua nullam fortasse majorem ab irato Deo acci
pere potuisset. Indendi animum laxavit
dolor; ut eum egregia sua pietas ac pru
dentia facere admonebat; unde dolorem
acceperat, indidem remedium petijt doloris.
Plurima per Franciscum ut in vita, sic
post mortem divinitus edita ad eum fama
pertulerat. Itaque tum hominis, tum Religio
nis studio accensus, Francisco Barreto Indiæ
Proregi, negotium per litteras dat, ut illustria Xa
verij facta miraculaque omnibus indicijs perve
stigata perscribat ad se. Sibi enim in animo
esse, eam testificationem Romam mittere ad
Pontificem Max: ut ille, si ei videretur, viro
sanctimonia et miraculis inclyto cælestes ho
nores ritè decerneret. Ut autem optimi Regis
de Xaverij virtute opinio nota ac testata sit
omnibus, operæ pretium duximus exemplum re
giarum inserere literarum. Prorex amice, tu
bi ego Rex salutem plurimam. Francisci Xave
rij vita ac labores exempli adeò salutaris ex
titerunt, ut Deo gratissimum fore existimem,
si ea ad divinam gloriam laudemque proferantur
in lucem. Quocirca ut illa in vulgus edita, quæ

per ejus ce

» par est apud omnes autoritates habeant
» ac fidem, magnopere tibi mandamus, ut ur-
» bequaque in India, ubicunque complures atque
» idonei hujusmodi rerum testes esse videbantur
» (: qui scilicet cum Francisco usum consuetu-
» dinemque habuerit :) tabulas publicas ac testifi-
» cationes, testibus jurejurando adactis, ritè con-
» ficiendas quàm diligentissimè cures; cum de
» vita ejus ac moribus, deque rebus omnibus
» ab eo ad hominum salutem & exemplum lau-
» dabiliter gestis; tum verò de iis, quæ divinitus
» ille & vivus patrarit & mortuus. Eas tabu-
» las simul cum testimoniis auctoritatibusque
» omnibus tuo chirographo subscriptas, annu-
» loque obsignatas, triplici ad nos transmittes
» via. Hoc sedulò & celeriter si feceris, magnã
» à nobis inieris gratiam. Olyssipone V. Kal.
» April. M. D. LVI. Prorex igitur Indiæ Prosequi inqui-
perlectis regiis litteris, ex iis confestim per i- sitio facta
doneos homines intentius inquiri jussit, non Xaverii
solùm Goæ in Indiæ metropoli, verum etiã
in Ora Indiæ ~~in~~ universa; ad hæc Malacæ
cæterisque locis, ubi Franciscum versatum
esse constabat. Comperta sunt haud dubiis
autoribus permulta per Franciscum &
in vita et post mortem vel salubriter gesta,
vel patrata divinitus. Ea Prorex in tabu-
las publicas relata, suaque subscripta manu
atque annulo obsignata ad Regem celeriter
perferenda curavit. Rex eò loci jam erat, ut
Rex, iisdem tabulis Romam transmissis, per
Legatum suum ageret cum Pontifice, uti Xa-
verium ritè in Sanctorum virorum numero
-

reponeret; cum pijs eius consilijs immatura
mors interuenit. Extat apud nos regiarum
tabularum exemplum, ritè obsignatum, sub-
scriptumque Piorogij manu, unde sunt ea,
quæ adhuc exposuimus, quæque deinceps expo-
situri sumus, magna ex parte deprompta.
Et quoniam superioribus libris illorum ple-
raque comprehendimus, iam reliqua subtexe-
mus, quæ de industria huc reiecimus, quia
suis intexere locis haud sanè facile, va-
rias ob causas videbatur.

Xauerius futura & absentia præ-dicit, cogitationes hominum introspicit.

Cap. 22.

Multis quidem Xauerius præclarisque
Dei muneribus, sed non alio magis quàm
multiplici Prophetiæ dono conspicuus fuit.
Eius rei haud dubia indicia extant in omni-
bus fermè vitæ eius partibus, sed illa maxi-
mè excellunt. Cosmus Joannes, Procurator
Regius, adamantem eximia magnitudine
coëmerat in India octo aureorum millibus,
quadruplo pluris in Lusitania futurum. Hunc
Ferdinando Aluaro in Lusitaniam soluenti
crediderat deferendum ad Regem. Sub id tem-
pus Franciscus Goam ad eum venit: pro
familiaritate, ubi mercimonia eius habeant
rogat. Ille cùm de cæteris mercibus in Lusitaniā
missis, tum verò de adamante illo narrat, felici-
ter secum agi ratus. Tum Xauerius rogitat, cui tan-
dem navi tam pretiosam commiserit gemmam.
Simul navis nomen accepit, Nolim, inquit, ipsi navi

credidisses